

Articulus Tertius.

Qui autem domos ut etiam Agros et alios fundos vendere vel opignorrare, aut quocunque alio titulo et quacunque de causa alio dare voluerit, id ut coram Knesio et duobus vel tribus Testibus faciat necesse est, alias contractus nullam vim habeto.

Articulus Quartus.

Cuilibet, si fundum suum aliter adire non potest, per agrum vicini sui consveto tempore eundi vehendique Jus esto, sed quantum fieri poterit vicini agro ab ipso parcat.

Articulus Quintus.

Si quis rem suam alteri ad certum tempus oppignoraverit, illoque tempore ellapso debitum non solverit, tunc ad instantiam Creditoris de redimendo pignore per Knesium admoneatur, et nisi id intra tres menses fecerit, pignus per Eundem Knesium et duos vel tres seniores Pagi estimetur, et de eo Creditoribus debitum, cum eo, quod interest exolvatur, Residuum vero Domino pignoris restituatur.

Articulus Sextus.

Rebus alienis contra pactum vel voluntatem sui proprietarii cum damno eiusdem utens, eidem proprietario pro Arbitrio Judicis secundum iustam damni aestimationem satisfacere teneatur.

Articulus Septimus.

Testamentariae dispositiones coram Knesio et quatuor vel quinque Testibus fidedignis, aut coram Sacerdote et duobus vel tribus itidem fidedignis testibus celebrentur, adhibito tamen semper Notario vel loco ipsius duobus aliis Testibus legitimis.

Articulus Octavus.

Paterfamilias atque liberis defunctis major natu frater vel proximus agnatus, una cum vidua relicta, Familiam gubernet. Quod si vero defunctus iuxta Viduam Liberos quoque reliquerit, ipsa Vidua una cum Tutoribus vel Curatoribus familiae praesit, et iunior Liberorum cum reliquis nullo sexus discrimine habito ex aequo ad haereditatem admittatur.

Articulus Nonus.

Boves, equos, vaccas, sues, capros, porcos, vinum ac frumentum omnis generis cuilibet Valachorum sicut aliis regnicolis, intra et extra Capitaneatos sui